



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Innocentius referet originem hujus institutionis. Illyricum sibi æquè ac ceteras Diœceses vindicat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

& sedis apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes; aut si uxores habuerunt, mariti esse desistunt. Si calculum ineamus, subductis ex solido orbe Romano Orientis Ecclesiis, id est, Antiochiæ, unâ cum Diocesibus Asiaticæ, Ponticæ, & Thracicæ, subducta deinde Ægypto, solæ superstant Ecclesiæ sedis apostolicæ, id est, Occidentales, ut antè dicebamus. Ex eo est quòd Cyrillus Ioannem Antiochenum monet necessum esse ut ij omnes latam à Celestino Pontifice Romano adversus Nestorum sententiam sequantur qui Totius Occidentis communionem amplecti volunt. Etenim Occidentis provinciæ per Legatos ad Synodum Romanam convenerant, cui Celestinus præfuit, ut testatur ipsa Synodus Ephesina, cum de adventu Arcadij, Projecti, & Philippi Legatorum à Celestino & Synodo Occidentalium missorum referret ad Imperatores. Quare non dubitaverunt iidem Ephesini Concilij Patres, adversus procaciam Ioannis Antiocheni commoti, ad Principes hæc scribere: *Perabsurdam enim est ducentorum & decem sanctorum Episcoporum synodo, quibus & universa Occidentalium sanctorum Episcoporum multitudo, & per ipsos reliquus totus terrarum orbis consentit, triginta numero se opponere.*

III. Innocentius ipse, quem Occidentali Ecclesiæ præsentem laudabat Augustinus, non solum earum Ecclesiarum principatum Romanæ sedi vindicat, sed hujus institutionis originem eò refert, quòd Occidentis Ecclesiæ à Petro, aut ejus in sede Romana successoribus, fuerint constitutæ. *Præsertim, inquit ille, cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores, constituerunt sacerdotes. Aut legant si in iis provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Qui si non legunt, quia nusquam inveniunt; oportet eos hoc sequi quòd Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est; ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Planè caput institutarum in Occidente Ecclesiarum Romanam Ecclesiam Innocentius vult haberi. Solæ desunt calculo nostro Illyricianæ Dioceseos Ecclesiæ, quarum hoc loco non meminit Innocentius. Certum est tamen eas æquè ac ceteras Occidentis provincias apostolicæ sedis constitutis paruisse, eamque sedem, ut Ecclesiarum Caput, excoluisse. Nolo mihi fidem haberi. Dicat pro se ipse Innocentius in ea epistola quam ad Rufum Episcopum Thessalonicæ (quæ*

Illyrici metropolis erat) & ad ceteros Episcopos Macedoniæ dedit, cum eorum literis à Vitali Archidiacono delatis rescriberet: *Adverti sedi apostolicæ, ad quam Relatio tanquam ad Caput Ecclesiarum missa currebat, aliquam fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum sententia duceatur. Quin & alio loco jure Patriarchico usus est Innocentius in retractando Bubalij & Tauriani Episcoporum Illyrici judicio. Ut dubitandi nullus possit superesse locus, quin per Illyricianam, æquè ac per ceteras Occidentis Dioceses, Pontificis Romani auctoritas Patriarchica explicaretur.*

IV. Si quis verò morosus his testimoniis cedere nolit, nisi apertis verbis ab aliquo Pontificem Romanum Occidentis Patriarcham pronuntiatum fuisse ostendamus, etiam hac in parte morem illi geremus. In Concilio Chalcedonensi Leo disertè Patriarcha veteris & magnæ Romæ dicitur, & in literis Iustini Imperatoris, Hormisda Pontifex, Patriarcha quoque appellatur. Præterea Iustinianus anno D X L I. cum Patriarchas quinque recenseret, primo loco meminit Patriarchæ Hespericæ, & Romæ. Hæreticis ascribit eos qui non sunt membrum sanctæ Dei catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ in qua omnes concorditer sanctissimi Episcopi, & totius orbis terrarum Patriarche, scilicet Hespericæ, & Romanæ, & hujus regie civitatis, & Alexandriae, & Theopoleos, (id est, Antiochiæ) & Hierosolymorum, & omnes qui sub eis constituti sunt sanctissimi Episcopi, apostolicam predicant fidem atque traditionem. Hesperiam in Notis ad hunc locum non sincerè viri docti Italiam reddunt, ac si Patriarcha Italiæ tantum censendus esset Episcopus Romanus. Cui ergo cedent ceteræ Occidentis provinciæ? Et qua ratione, si eas à Romano Patriarchatu excipias, omnes totius orbis tractus quinque Patriarchis suberunt; ut Iustinianus hac Novella contendit? Itaque Hesperia Occidentem significat. Qua voce usus est antiquus Novellarum interpres, ut pote à mediæ ætatis scriptoribus frequentissimè usurpata, ad significandos Occidentis tractus; etsi apud veteres & alios quoque auctores Italiam non rarò significet. Quo sensu apud Theodoretum Occidentales Episcopi *οἱ τῆς ἑσπερίας* dicuntur, & *ἑσπερίοι* apud Socratem. Fortasse sincerior est lectio Scrimgerianæ editionis, quæ Patriarchatum Romanum non dividit in Hesperiam & Romam: sed uno membro complectitur *ἑσπερίας πόλιν*, id est, Occidentalis Romæ; ut distinguatur à Nova Roma Orientalis Imperij, quæ quidem à Synesio Orientalis Roma dicitur, quemad-

Decret. c. 35.

Vide Addit. ad cap. xviii. lib. v.

Act. 1. Synod. Chalced.

Nov. 109. de privilegio dicitur hunc. et in Notis ad No. Iust.

V. Cl. Dionysius Gothofr. in Notis ad No. Iust.

Nov. 113. dicitur Patriarcha ἑσπερίας πόλιν, C. de sum. Trin. Theodoretus l. 1. c. 23. Socrat. l. 1. c. 29.

Epist. Cyril. in Concil. Ephes. l. 1. c. 21. ubi dicitur quod Nestorius non fuit in Concilio Chalcedonensi.

Epist. Conc. p. 1. Act. in Relatio ne ad Imper. Justinianum. c. 1. ubi dicitur quod Iustinianus Imperator non fuit in Concilio Chalcedonensi.

Innoc. in epist. ad Decret. Eugub.

Innoc. ep. 21. & 22. ad Decretum cap. 10.